





13

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS CASUM  
DE  
**HERNIA CRURALI  
INCARCERATA**

QUEM  
*DIVINIS SUB AUSPICIIS*  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
DECRETO

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGIÆ DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
RESOLUTUM SUBJICIT

*DIE XXVIII. AUGUSTI A. MDCCCLXIX.*

**FRANCISCUS CAROLUS MELZER**  
PETROPOLITANUS.

H. L. Q. C.



*ARGENTORATI*  
Typis JOH. HENRICI HEITZII Universitatis Typographi.





## Proœmium.

**C**uit certe tanta omni ævo fidelium Observatio-  
num autoritas, tantamque sibi semper me-  
ruerunt apud coævos seramque posterita-  
tem famam, qui in instituendis colligendisque versati  
fuerunt, ut in promovenda Scientiarum meta summus  
ijsdem locus jure meritoque concedi debeat. Expe-  
riential etenim rerum esse magistrum omnium Artium at-  
que Scientiarum loquuntur annales. Quid tantum ad ve-  
stigium evehere potuisset, quo hodie conspicitur, Medicam  
artem, nisi propriis Observationibus omnium Seculorum  
post originem suam ditata ad nos transcendisset, hodieque

plarium Scientiarum partibus aucta, pulcherrimam ab iis  
 lucem mutuasset, ut tanto certitudinis gaudeat gradu,  
 quantum ipsa evidentia dare potest. Primum quidem sta-  
 bilissimumque præbet arti fundamentum Anatome, inter  
 Scientias quæ hominem Medicum ornat, facile princeps.  
 Ea, postquam ab HIPPOCRATE, GALENO aliisque inter  
 Veteres sic fatis culta fuerat, neglecta dei secum in obli-  
 vionem abrippuit veram artis culturam; ubi vero iterum ex-  
 tollere caput ista cœpit, & hæc hætam rursus monstravit  
 faciem. Quam pulchra sunt, quibus abhinc ditavit Me-  
 dicinam inventa? quanto cum ardore & nostro Seculo in  
 perficienda ea laborarunt atquelaborant adhuc HEISTERUS,  
 ALBINUS, MORGAGNI, HALLERUS, magna nomina, quæ  
 sera celebrabit posteritas. Patet certe hodie celeberrimo-  
 rum Virorum industria intimus quisque corporis humani  
 recessus, cumque partium tenorem vitalem haud decla-  
 rant cadavera, suam conferunt ad scientiæ augmeitum  
 symbolam animalia, quæ viva secamus, partiumque fun-  
 ctiones ipsas intuemur. Desunt vires, nec permittit in-  
 stituti ratio, absolvere quam incepi paginam, plurimasque  
 rimari utilitates, quæ ex Anatome tam mortua quam ani-  
 mata, atque præsertim ex clinicis cadaverum Sectionibus  
 in totam redundant artem. Sunt & aliorum corporum,  
 quæ natura alit in corpus nostrum effectus, quos nosse plu-  
 rimum interest, ut servetur sanitas, ut restituatur amissa.

Accedunt hic in subsidium Artis tota Naturalis Historia, nostro præcipue felici Sæculo a maximis culta Viris, qui certam suas intendunt vires, ut ad summum, quantum humanae res permittunt, perfectionis gradum evehant istam. Pulcherrima hæc Scientia sicut Creatorem omni momento demonstrat potentissimum, ita nota nobis facit quæ circumstant nos, reliqua corpora, partim quidem noxia, maximam partem vero salutaria utiliaque. Complementum tandem artis perfectioni addunt ipsæ rariorū morborum Observationes. Liceat hic elegantia Summi Viri Ill. GAUBIT referre verba, quæ, fateor, nunquam me sine dulci voluptate legisse. "Præcipue," inquit, "necessarium est ante oculos habere historias omnium ac singularium morborum integras, ex plenis atque intaminatis Practicorum observationibus accurate concinnatas. His uti nititur universa morborum cognitio; ita, cum conferuntur illis, quæ in præsente ægro sagax examen detexit, mali, quo is laborat, indolem pulchre declarant. Nec fane certius aliud datur subsidium, quo obscura clarescant, dubia endentur, corrigantur falsa, controversa dirimantur; sicubi vel priores etiam Scientiae non satis præluxerint. Hac ideo regia via incesserunt olim, hodieque inscedunt veri quique Medici, dolentes interim, tot hiatusbus etiamnum abruptam, & inaniū narrationum sordibus conspurcatam esse." Colamus itaque manes Hippo-

POCRATIS, suspiciamus cineres BOERHAAVII, SYDENHAMI, immortalium Virorum, quibus Ars Medica ortum augmentumque eo titulo debet, quod nudas, nullis hypothesium foribus contaminatas suas Observationes dederint, atque ita nobis subministrant arma, quibus dirum vitæ hominum hostem cum fructu oppugnare liceat. Si leant igitur illi, qui in effingendis explicandisque rebus suum tempus consumunt, qui que nil aliud offerunt, quam ut ingenii sui imbecillitatis argumenta præbeant, qui que studiosi magis videntur contentionum quam veritatis. Certe si iis demeres in quibus modo sibi placere student, uno momento *Iro redderes pauperiores.*

Experta est triste hoc fatum præprimis Physiologe, antequam Experimentorum autoritas in Physicem esset introducta; quam multos reperimus, quando scientiae hujus fasta lustramus, Sectatores, qui functiones corporis humani, inconsulta natura, ex suis fictionibus descripsérunt, ab omni veritatis studio alienissimi; & ut reliquas omittant Sectas, (vix enim sufficerent plures paginæ recensendis omnibus) quanta Physiologiæ impedimenta fecit, quæ Jatromathematicæ nomen sibi meruit? quæ partes corporis humani circino quasi dimensa est, nobilissimasque ejus functiones calculis exprimere tentavit, quas tamen ne quidem sedulus naturæ spectator post longam plurium annorum diligentiam ita perspicere valet, ut sibi ipsi satisfaciat,

cogiturque aliquid divinum, quod nulli machinæ ineſt,  
hic agnoscere.

Cum igitur tanta fit rariorū Observationum utilitas,  
& cuiusdam Scriptorem lubeatissime agam, singularem me-  
moratuque dignam publicam facio Herniæ Historiam, quam  
Experientiss. atque Excellentiss. Dn. LOBSTEIN, *Med. D.  
Anat. atque Chirurgia Prof. P. O. celeberrimus*, ex adver-  
ſariis suis benevole concessit. Expectabis quidem, B. L.  
absolutam omni numero pulcherrimi casus epicrisin, sed  
pauci tantum dies pro elaboratione reliqui, dum redditum  
in patriam molior, eam longius diducere vetant; itaque  
selecta tantum tria ex casu meo capita mihi enucleanda  
sumi, quæ post recensitam Morbi Historiam præcipuo-  
rum Auctorum suffultam Observationibus, addito quali-  
cunque judicio, illustrare fuscipiam. Faveas, B. L. cona-  
tibus meis omni qua par est pietate rogo.

## HISTORIA MORBI.

**P**ræterlapso proximo anno ad foeminam gravi decum-  
bentem morbo, sollicita ejus foror intensis accessivit  
precibus, Cl. Dn. LOBSTEIN, Præceptorem Venerandum,  
opem ut ferret, enixe rogitans. Difficile haud erat per-  
cundanti, ex responsis concludere, interclusam herniam

esse, periculumque in mora. Nec fecerit eum opinio. Etenim examinatam ipsam Ægrotam per septem jam dies femoralis hernia male habebat. Erat illa staturæ exiguae, quadragesimumque in circa agebat annum; corporis habitus delicatus satis, pallida facies; vomitus perpetui, itidemque singultus pertinax eam vexabant, ut omni ex parte res desperatissima fuerit visa. Interim tamen pulsus adhucdum æqualis, sed tenuis atque languidus, æquabilis corporis calor, animique integritas aderant. Vocatus antea fuerat Artis Chirurgicæ Peritus dexterissimus Dn. WESTPHAL, Practicus hujus Urbis felicissimus, qui eo qui præcesserat die fomenta, cataplasmata, enemata applicuerat quidem, potionesque oleofas ingesserat, irritis tamen conatibus; nec optatiorem eventum fortita erant, quæcumque ad perficiendam taxin tentarat. Erat quidem ultima salus Ægrotæ in operatione posita; sed hanc quoque infeli ci fidere institutum iri prævidere poterant Medentes, cum audacia simul perpenderant molimina, quæ ab Ægrotæ amicis instituta antehac fuisse retulerunt adstantes. Miraris certe harum muliercularum ratiocinia. Herniam morbum esse noverant, igitur reponenda esse quæ elapsa erant, proximo inde concludunt alveo. Sed eheu! quale sequitur auxilium! En paucis: Audax fortisque foemina suo genu in Ægrotæ inguen insistit, suis, quantas habet, viribus premit, sicque elapsa in ventrem redigere infelici conatu ni-

titur. Fine itaque suo frustratæ demum aliorum quærunt auxilium. Quid in hisce angustiis tentandum, fatendum cūlibet hærere aquam. Tantus erat in foemina ægrota vi- tæ amor, ut ad perpetienda, quæcumque ad conservandam eam suscipierentur, esset promissima. Igitur ab audacia mutu- andum esse consilium jure statuerunt Medentes, ad omnia ea, quæ daret exitus, parati; si ferret intestinorum conditio, abscondere, quæ forte essent corrupta, atque anum perficere artificialēm. Paratis igitur ferramentis consueto mo- re sectionem supra tumorem instituunt, removent cellulo- sa habitum, & ecce in apricum prodit herniæ foccus. Dum peragerentur hæc, miratus esses patientissimam, si quæ alia detur, foeminam dolores spernentem. Aperto sacco, cum effluxisset aqua, luridam monstrabat faciem intesti- num cum epiplo, ut duplē latuisse in herba anguem fane intelligeres. Tentarunt itaque educere subtus inte- stinum; sed ecce junxerat se desperato satis casui illud infortunii, ut in tota peritonæi circumferentia, quod fac- cum herniæ constituit, firmissime concreverint & omen- tum & intestini elapsa portio. Novis igitur opus erat vi- ribus, novis consiliis & alaci animo, qui fortunatum e- ventum & insolitis auxiliis quandoque obtinendum esse, intelligerent; audaces quippe non raro fortuna juvat. Ampliarunt vulnus versus abdomen, atque tentarunt, ut di- gitorum ope superiorem elapsorum partem a peritonæo

separarent, donec potuerit supra digitos scalpellum caute intrudi, quo discissum est Poupartii ligamentum. Hac igitur encheiresi pararunt spatium, ut reliqua elapsorum, quæ hucusque in ambitu erant concreta, separari quoque, extrahi, oculisque subjici possent. Momento hoc præ nimiis doloribus lipothymia correpta fuerat Ægra, quæ vero odoriferis ita rursus excitata fuit, ut ad perpetienda reliqua apta redderetur. Lustratum vero dein intestinum cum aliqua firmitate adhucdum gauderet, spes affulsiæ optima, fore ut restituatur rursus, aut saltem, soluta licet intus aliqua ejus parte, certo lethalem non fortituruæ esse eventum. Quid enim aliud moliendum quæro? An excisio corruptæ partis? Sed nulla aderat extus, nec interiora conspiciendi ulla hic dabatur potestas; & si adfuisset interiorum partium corruptio, nulla certe docent exempla, quod certam perniciem ista afferat. Sed pertimescenda sane erat concretio omenti tumidi & indurati cum intestinis, anque illa solvenda, an relinquenda? arduum certe erat consilium. Si instituta fuisset solutio, non poterat non dilacerari simul intestinum, etiam summe tumidum inflatum inque hernioso sacco hucusque maceratum. Satius igitur esse duxerunt, cuncta reponere in abdomen, atque naturæ expectare operam, quæ quoque ita respondit votis, ut quarta ab operatione die felix contingeret supp.

suppuratio, quæ per vulnus, cui ex consilio turunda erat  
 immissa, septem dies jugi fluxu stillavit. Optimum hoc  
 naturæ opus, suppurationem scilicet, qua corrupta omenti  
 pars a sana abscessit, maxima ex parte juvit Peruvianus  
 Cortex, quam omni bishorio Ægrotæ ad drachmam unam  
 usque assument, divinum his in casibus remedium. Ut au-  
 tem relaxarentur illæ partes, quas spasmos tenebat, sorbit  
 gelatinam jure solutam, nec non Syrupis demulcentibus  
 nupta Oleosa; data fuere Enemata cum lacte, in quo de-  
 cocti erant Verbasci Flores; quæ quoque remedia effecere,  
 ut alvus libera rursus redderetur. Internorum cæterum ef-  
 fectus non parum supplebant externa, embrocationes, in-  
 undiones lenientes, quæ ventris distensioni mirè medeban-  
 tur. Hac igitur methodo cum per aliquot dies insisteretur,  
 restitutæ Ægrotæ vires, imminuta ventris intumescens, lenia  
 dein fuere exhibita laxantia; inter quæ, cum Man-  
 nam respueret Ægra, potissimum erant cum Oleosis mixti  
 Syrupi, tum Florum Persicorum, tum is, qui ex Cicho-  
 reo atque Rheo paratur, eisque feliciter alvus respondit.  
 Diætæ quidem interim pluries irrepserant vitia, quæ autem  
 opportune remediis rursus debellata fuerunt. Sic factum  
 est, ut favente Numinis gratia clauderetur vulnus, atque  
 pristinam recuperaret sanitatem Ægrotæ. Amictum nunc  
 est ejus corpus cingulo, quod pilam habet, ut firmetur,  
 qui incisus fuerat, locus.

## §. I.

**V**ariis patent intestina ingentibusque casibus, sive naturæ consentaneam collocationem hucusque servent, sive se de sua mota, superatisque continentium partium viribus exteriora versus proruperint, ut herniarum varia genera efficiant. Quodsi enim sive miram eorum consideres longitudinem, arcto tamen inter reliqua abdominis viscera musculosque spatio comprehensam, sive innatam eorum volubilitatem atque contractilem vim, qua indesinenter agitantur, sive corporum in eorum cavitate ex ipso Naturæ instituto hærentium nocendi potentiam, quanta illis immineat continuo malorum lerna, clare fatis apparebit; nec miraberis id, quod unanimi Medicorum constat consensu; scilicet sedem suam sœpe figere hic gravissimos morbos, quorum causam aliorum esse derivandam putares a). Hæc primus docet intestinorum conspectus, ubi in aperto

a) HOFFMANN. *Syst. Med. Rat.* T. II. P. III. C. 6. §. 14. Caput affici docet a nimia faburra in intestinis hærente, quod Veteres jam Medici notum sibi fuisse testantur. vid. GALENUS ad HIPPOCRATIS *Prorrhet.* Cap. I. Alvus intercepta non quidem signum affecti cerebri, sed ubi hoc affectum est, clausa alvus malo deteriorem induit faciem. Hæmoptysia ex intestinis ortam habent. *Acl. Phys. Med.* Vol. 7. Obf. 116. Saburram in intestinis relictam esse cacochymiarum genitricem HOFFMANN testatur *Syst. Med. Rat.* L. I. Sect. II. C. VI. Schol. 1. ad §. 14. & VAN SWIETEN in *Comment. ad BOERH.* Apb. §. 772. Ulceribus & vulneribus faburram obesse habet BOERHAAVIUS Apb. 20. & VAN SWIETEN ad b. 4.

vivo animali naturæ opus miramur. Tum vero demum cum anatomica encheiresi singulas lustramus, quibus componuntur, particulas, stupet ingenium, quando delicatam earum structuram, infinitum numerum atque ordinem consideramus, quæ omnia sic conspirant, sibique respondent, ut animatæ singulæ effectus exercere soleant captum nostrum longe superantes b). Hæ agunt perpetuo, nulloque fatigantur motu, dummodo statas ille vices servet. Vitalis hæc vis nullo non tempore adest, sanitati præsidet, atque fidam ejus custodiam agit; exerit se non solum dum omnia vigent, atque debito se habent collocanturque modo, sed & dum adverso flumine geruntur res semper manet actuosa, nisi insigni nocentium potentiarum cumulo obruatur. Demonstrat id ille intestinorum status, ubi in tota sua circumferentia vinculis comprimitur intestinorum portio, ita ut circumieunti in regiis HARVÆI orbitis sanguini validum nascatur obstaculum; modo enim hic remaneat levissimus quasi hiatus, exercebit vim suam conservatricem longum satis per temporis spatium c), & uti

B 2

b) Intestinorum, tenuum præfertim, intimorem fabricam tradiderunt JOH. NATH. LIEBERKÜHN de *Villis Intestinorum*, Amstel. 1760. CHRIST. BERNH. ALBINUS in *nova* sua *Tenuum hominis Intestinorum Descriptione*, Lugd. Bat. 1724. & B. S. ALBINUS passim in *Annotat. Academ.*

c) Vario temporis spatio incarceratae herniae in gangrenam abeunt, ut certus hic terminus statui nequaquam possit; aliae tertio die

nostra docet Observatio per septem & ultra s<sup>e</sup>pe dies.  
Miranda sane res, vigere naturam, dum penitus fractam  
esse crederes ita, ut exsurgendi nulla esset amplius potestas,  
& multo minus ut in integrum restitui possit ejus vigor.

## §. II.

Sed non solum, ubi cuncta juxta ordinem procedunt,  
non solum ubi inflammatio dira subest, conspiciendam se  
præbet actuosa naturæ vis. Agit quoque tum, ubi corru-  
pta est ejus pars, sive in externa facie, quæ oculis subji-  
citur, sive in interna superficie, cuius structura longe de-  
licatior est: Scilicet tunc demum omnes suas videtur colli-  
gere vires, ut sapienti instituto separet corruptas partes  
a sanis, excutiatque tanquam alienam sibi partem inutilem,  
imo quoque summe nocivam d). Tunc temporis præser-  
tim, ubi in vasis suis hucusque contentus libereque fluens  
sanguis bonæ notæ est, nec in perniciei consortium abre-  
ptus titubat quasi hærens materies, haec tenuisque incertum  
est, in illa ejusdem corruptionis particeps fiat emortuæ

---

necrofi corripiuntur; aliæ ad duodecimum usque diem integræ  
remanent. Exempla apud omnes leguntur Chirurgiæ Scriptores.

- d) Memorabiles sunt herniarum suppuratarum observationes, quæ  
tamen lethales non fuere. Scriptit de his confulto Cl. HEISTER  
in *Diss. de Hernia incarcerated suppurata s<sup>e</sup>pe non lethali*, Helmst.  
1718. nec mortiferas esse eas, quas gangræna exceptit, demon-  
stravit Cl. WEILER in *Diss. de Hernia gangrana corrupta*, Ar-  
gent. 1768. Ut pateat, non relinquendum esse ægrotum, ubi  
gangræna intestina tenet, uti RAVIUM fecisse apud HEISTER  
*Instit. Chirurg. T. II. p. 766. not. d. legitur.*

parti vicina, an ab ea permaneat libera? Quem enim nunc in his partibus conspicimus statum, inflammatio est, cuius exitus sive resolutio erit, sive puris generatio, sive plenaria ejus necrosis. Sed qui poterit hic plenaria fieri resolutio, ubi summum jam ad gradum pervenit inflammatio, atque ruptorum vasorum prægrandia oscula sanguinem per anastomosin dimitunt? Suppuratio igitur solus erat optatior ægroto exitus; testatur id certe non una observatio, sed quotidiana omnium Chirurgorum experientia e). Ab ista tamen pernicie liberum remansit in Casu nostro intestinum, ejusque solum Epiploon particeps fuit. Non inepte certe suspicari mihi videor, omentum superne in hacce hernia collocatum, fregisse duri ligamenti vim, atque intestinorum portioni hic contentæ præsidio fuisse, dum in motu constituti abdominales musculi istam premerent, ne eandem cum ipso tragœdiam luderet. Ardua certe, si evenissent hæc, fuisset ipsa operatio, difficilis cura, præternaturalis quoque ant fere certa necessitas, cuius tamen tam misera est conditio, ut morti videatur postponenda, nisi in integrum restituendæ sanitatis remedia inveniant Medentes. Habes hic B. L breviter paucas,

B 3

---

e) Inter suppurationem gangrænamque optatiorem esse istam vulgaris notitiæ res est, quod humores bonam hucusque notam servare denotet. vid. PLATNERUS *Instit. Chir.* §. 54. & 55.

quas suppeditavit mihi casus noster, cogitationes; transeo nunc ad ipsam ejus tractationem, atque cum supra jam fas-  
sus sim, absolutam ejus Epicrisin ut darem, haud permi-  
tisse circumstantias, sermonem tantum de sequentibus tri-  
bus capitibus instituam scilicet de ligatura primo Epiplio;  
deinde an discindendum sive dilatandum in hac herniæ ope-  
ratione sit Poupartii ligamentum? atque tandem de Corticis  
Peruviani contra necrosin virtutibus nostro in Casu quæ-  
dam subjungam.

## §. III.

Omentum, Peritonæi proles, membrana est tenera,  
cellulosæ satis similis, facile dilacerabilis, per quam vasa  
incedunt reticulata, secundum quorum ductum adeps in  
striae dispositus sedet f). Hoc nomine quamvis plures ve-  
niunt particulæ, nobis tamen, ubi de Epiplio loquemur,  
illud præprimis indigitatur, quod Gastrocolicum audit  
HALLERO, duabus constanti laminis, quarum anterior a  
ventriculi ima sede educitur; pergit ad umbilicum, sive  
quoque ad pelvim usque g), pone abdominis musculos  
ascendit contra se ipsam revoluta, posteriorque membrana

f) vid. HALLERI *Prim. Lin. Phys.* §. DCLXIII.

g) Omentum non raro cuncta abdominis viscera tegit, ut etiam in  
Pelvim ad uterum usque non modica portione sese dimittat.  
vid. HALLERUS in *Not. ad Præl. BOERM.* §. 330.

transversum attingit colum, cui latissime innascitur. Late se pandit autem omenti utilitas. Adipem parat servaque, in humanæ œconomiæ usum, intestina inter atque abdominis musculos interponit se; a concretione igitur cum peritoneo, nec non & inter se, effuso suo adipe defendit, frigus ab iis arcet. Ita fabrefactum ex adipे plurimisque non minimis vasis viscus facile alteratur, dum si ve in variis herniis vel solum b), vel cum intestinis descendit, comprimiturque ita, ut facile consistens adeps durus reddatur atque crassus, stringantur vasa, inflammetur pars, citoque pede in gangrenam abeat; sive in abdominis vulneribus a reliquis exteriora versus nitentibus visceribus per vulnus exprimatur, atque ita aëri, quo cito corruptum exponatur. Cum igitur emortuam partem in abdomen reponere non sinant sanæ Chirurgiæ regulæ, communis Autorum sententia atque Chirurgorum praxis est, ut deligitur in sana adhuc parte Epiploon, inque vulnere firmetur ligatura, quo emortuis plane vasis decidat corrupta pars, sive a pernicie servetur reliqua, sive quoque absindatur cultro infra ligaturam emortua pars. Hæc sedulo in-

---

b) Epiploon solum in hernia posse comprehendendi, probant HEISTER *Diff. cit.* §. IV. LE DRAN *Obs. de Chir.* Tom. II. Obs. 63. quin imo eadem vides symptomata, ubi incarceratur hæc herniæ species, quam si subfesset Enterocèle. vid. PIPELET *Mem. de l'Ac.* *de Chir.* Tom. III. p. 399.

eulcant omnes Chirurgorum Libri, a quo GALENUS eam ligaturam instituit atque commendavit, imo ita necessariam reputarunt eam omnes Veterum Sectatores, ut graviter reprehendat PETRUS DE MARCHETTIS i) barbi tonsorem, qui omentum neglecta ista resecuit, ideoque sequentia profert verba: "Observandum vero ex sententia „omnium Autorum, non esse secundum omentum, nisi „filiō constringatur, quod in vulnerē relictum natura præ- „ter ullum incommodum extrudit." Differunt tamen ab his recentiorum aliquanto præcepta, quorum plures ligaturæ usum restringendum, alii inutilem atque negligendum, alii vero plane noxiū rejiciendumque autumant. Paucis hæc discutere animus est.

## §. IV.

Eiploī ligaturam GALENO suam debere originem, supra diximus. Addimus hic, CELSO fuisse ignotam, quum nusquam in toto Ejus *de Medicina* Libro hujus occurrat mentio. Celebratur vero duplici potissimum scopo, ut scilicet sive prohibeat serpentem gangrænam, ne sincera Eiploī trahatur pars, sive ut avertatur hæmorrhagia, ubi secundum Chirurgiæ præcepta in sana parte emortuam absindit.

---

i) *Obs. Med. Chir.* Obs. LI. p. 100.

scindimus. Siquidem ex felici sive infortunato eventu de ligaturæ hujus utilitate judicare quis vellet, dubius certe nobiscum hæredit, cum utriusque generis recenseantur a fide dignissimis Viris historiæ. Probat ligaturam tanquam securiorem methodum, nisi admodum parva rescindenda sit pars Cl. HEISTER *k)*, seque tuetur CHESELDENI autoritate, qui in herniæ incarceratæ operatione "omentum addnatum acu duplex filum trahente perforavit, ligavit atque amputavit, ægrumque sic feliciter restituit." Eundem eventum fortitus est LA MOTTE *l)*, cum Epiploon post abdominis vulnus ligaret abscinderetque excidentem ejus portionem. Secundum hæc principia præcipit quoque Epiploï ligaturam Cl. PLATNER *m)*. Habes quidem hic felices eventus; sed ecce tamen infortunatos quoque ligaturam fecutos.

Subjicit se operationi Epiploëles Vir triginta annorum, cui tamen nulla supervenerunt incarcerationis symptomata; Chirurgus cum scroto adhærens solvisset Epiploon, ligat illud, partemque ligatam in annulo relinquit; eodem die superveniunt singultus, vomitus ad quartum usque diem

## C

*k) Instit. Chir.* P. II. Sect. V. Cap. CXVII. §. VI. & X.

*l) Traité de Chirurgie complète* Tom. III. Obs. 246. p. 157.

*m) Instit. Chir.* §. 683.

durantes, quo defunctus est æger; refert hanc historiam Cl. VERDIER *n*), aliamque mox a Cl. POUTEAU communicatam subjungit: Ligaverat Vir Cl. omentum, deligatamque partem abscederat; cessabant quidem illico vomitus, filebant symptomata, sed mox de novo ingruunt; dolor vexat ventriculum immanis totumque ventrem, atque celebratis licet Venæsectionibus, impositisque fomentis emollientibus moritur æger trigesima sexta post operationem hora. Suppuratio gangrænosa visa est in cadavere totum occupare Epiploon, hinc inde digito crassum, cum intestinis nec non peritonæo concretum. Erat hic tam evidens ligaturæ noxa, ut in totum illam abhinc relinquaret dexterrimus Vir. Extant præterea apud plurimos Autores nostrarum a relicta in annulo ligatura Observationes *o*). Lubet tandem his neglectæ feliciter ligaturæ exempla subjungere: talia scil. habet DIONIS *p*), GARENGEOT *q*), GUNZIUS *r*) Nunquam Epiploon ligavit Cl. MARECHAL, Regis Chirurgus *s*); nunquam SHARPUS *t*) aliquie, quos re-

*n*) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III. p. 73. & fqq.

*o*) vid. PLATNER Inſtit. Chir. §. 685.

*p*) Cours des Opérations p 93.

*q*) Opp. de Chir. Tom. I. Cap. IV. p. 205.

*r*) Lib. de Herniis, p. 54.

*s*) Mem. de l' Acad. de Chir. Tom III. p. 76.

*t*) Recherches critiques sur l'état présent de la Chirurgie, 1751. Ne-

censere supervacaneum est, ne Autoritatum pondus accumulem.

### §. V.

Si igitur dicendum quid res sit, videtur in universum ligaturæ magis noxios quam salutares esse effectus. Quo enim cunque instituatur scopo actuose naturæ operam magis turbare quam juvare palam est. Supponas scilicet partem Epiploei teneri gangræna, efficacius in separanda ista a fâna parte operabitur natura, quam constringens filum, quod ejus motus in salutem ægri tendentes non potest non turbare. Si metus tibi oritur ab hæmorrhagia, ne discissa sequatur vasa, discutient illum quos supra citavimus Viri, qui nullam sibi evenisse, cum sine ligatura abscinderent Epiploon, afferunt. Memorabilis hic est Cl. CAMPARDON casus <sup>ii</sup>), ubi nullo relictio pro ligatura spatio resectum est Epiploon prope Colon transversum, nulla tamen secuta sanguinis profusione. Quicunque porro partis hujus utilitatem atque ligaturæ effectus proprius rimari velit, nobiscum consentiet. Ligatura scilicet partem, cuius naturalis con-

C 2

gligit eam quoque ipse dexterimi hujus Viri Præceptor, ubi non crassum est, sed corruptum solummodo. vid, HEISTER i, c.

<sup>ii</sup>) *Journ, de Med.* Tom. XII. Fevrier 1760.

ditio est, ut sit expansa, in unum cogit glomerem, siveque  
ejus functionem turbat; nec cogites restitutum iri ejus habi-  
tum, quando delapsa erit ligatura? concrebet potius in  
unum convolutum corpus, cunque vicinis partibus; quin  
si nulla jam adesset inflammatio, illud simul necessaria na-  
turæ lege subsequetur. Probant hoc pulcherrima Cl. PI-  
FELET <sup>x)</sup> experimenta, quæ ipsis Dexterrimi Viri verbis  
recensuissim lubenter, nisi justo majorem hic replerent  
paginam. Sed in epitomen contraham cuncta. Ligavit  
scilicet Epiploon pluribus canibus, ligatam refecuit par-  
tem, reposuit reliquam, siveque dimisit. Difficulter hæc  
animalia tulerunt hoc experimentum; ciborum appetitus  
erat prostratus, nec perfectæ redditæ fuerunt sanitati.  
Strangulati canes fuere aperti, omentumque nunquam non  
morboso sese habebat, erat in glomerem concretum, vi-  
cinis partibus & præcipue vulneris oris adhærens, & quod  
maxime attendendum est, intus abscessum sæpiissime ale-  
bat. Aliis iterum extraxit solummodo Epiploon, atque  
extra vulnus reliquit, qui facile sanati post mortem non  
nisi concretionem Epiploï cum vulneris oris ostendebant.  
Et talis adhuc mihi suspicio venit in mentem, cur ligatu-  
rarum usum incommoda tristia sequantur. Suum trahit  
ortum Epiploon a ventriculo & intestinorum crassissimo

---

<sup>x)</sup> Mem. de l' Acad. de Chir. Tom. III, p. 402.

colo, ut supra præcepio. Organa hæc certa naturæ lege in perpetuo motu sunt constituta, peristalticum vocant, qui longe crebrius sese ciet, dum intestina necessitas urget, quam hoc in statu inflammationem esse extra omne dubium erit. Quid igitur, si inferius, ubi herniarum sedes fuit, Epiploon nodo constringitur, trahit illud huc mox ventriculus, mox illuc intestinum colon, ut creberrimis motibus Epiploon agitetur, qui felicem resolutionis exitum inflammatae parti hæd concedere videantur. Ad hæc accedit & illud, quod Epiploon in incisionis loco relinquatur vinculo suo constrictum. Inde non mirum, creberrimis motibus spasticis agitari, & intestina & ventriculum, ut cuncta vomant, quæque intus asservant.

Taceo reliqua, quæ contra noxiā hujus ligaturæ præxī dici possent. Sufficient scilicet hæc, ut demonstrent, optimam elegisse Medentes procedendi methodum, dum reposuerunt integrum ob concretiones suas nequaquam solvendas, omentum, atque confisi naturæ viribus in separandis a fana parte emortuis, quæ quoque sic respondit votis, ut felicissimus esset subsecutus eventus.

## S. VI.

Ad externum inguinis latus, quo proxime subest femoris cum coxa articulus, ligamentum vides, quod a Fallopio vel Poupartio denominatur. Scilicet arteriæ at-

que venæ iliacæ ex abdomen ad femora descendentes sustinentur ab osse ileo, quod hac parte cum pectinis osse committitur & sinuatum est, quo sinu excipiuntur, quæ adduximus vasa. Superstratus est huic arcus ex tendine sive aponeurosi musculi externi atque interni obliqui, crassidente, qui utrique sinus lateri innascitur <sup>y)</sup>. Hac parte igitur aliquando cedit peritonæum, ubi contentarum partium vis ligamenti resistentiam superat; erumpunt cum Epiploo intestina, subter communia integumenta fere effundunt, herniamque constituunt, quam cruralem sive femoralem latine, græco vero idiomate *μηρονην* appellant <sup>z)</sup>. Ubi vero, quod reliquis quoque herniæ generibus accidere solet, intercluditur hæc, sive a distentis intestinis, sive ab ipsa ligamenti per robur suum vitale contractione <sup>a)</sup>, oriturque inflammatio, cum consuetis herniæ incarceraçæ symptomatibus, tum frustra tentata taxi, ferri auxilium tentandi oritur necessitas. Non disputabimus hic de variis, quæ olim in usu fuerunt hernias operandi modis, de puncto scilicet aureo, cauterisatione cruralis arcus &c. nec de tota, qua hodie utuntur encheiresi describenda co-

---

<sup>y)</sup> Amplius ligamentum hoc descripsit WINSLOW *Exposition anatomique* Tom. I. *Tr. des Os fraîs* §. 119. sqq. qui cum inventore pro vero ligamento agnovit.

<sup>z)</sup> vid. GAUB. *Instit. Pathol.* §. 234. & PLATNER *Instit. Chir.* §. 792.

<sup>a)</sup> De strangulationis causis in herniis ex professo scriptis Cl. GOURMAND *Mem. de l' Acad. de Chir.* Tom. IV. p. 243. & sqq.

gitamus b). Occupabit nos modo proposita novissime annuli arcusve cruralis dilatatio incisioni substituenda. Scilicet ubi coarctatus nimium est iste hiatus, quam ut blanda vi possent sensim sensimque introduci intestina, communis est Chirurgorum praxis atque præceptum, ut incidatur, sique parato ampliori spatio commode refundantur, quæ in herniæ facco erant comprehensa; hanc autem incisionem ex operatione nostra exulare, ejusque loco dilatationem commendare suscepit nuperus Autor; quo jure? breviter videamus.

### S. VII.

Ut autem quæstionem nostram rite enodemus, consideranda sunt ea, quæ tum sub origine herniæ, tum sub ejus strictura accidere solent. Oritur cruralis hernia, ubi cedit fallopianum ligamentum viscerum abdominalium vi, adeoque urgetur per ejus aperturam peritonæum cum intestinis atque omento, sique efficit saccum istis repletum. Docet hic certe experientia, distendi tunc arcum, ut reposita licet massa, per ejus aperturam data occasione rurus erumpat. Sensim abhinc sensimque assuefiunt novo, quo continentur loco, intestinum cum epiplooo excidunt ex abdomine majori quotidie parte, concrescunt cum ipso

---

¶) Exhausit hunc laborem Cl. LOUIS. vid. Mem. de l' Acad. de Chirurgie Tom. IV. p. 281. & sqq.

sacco, atque inter se c), ut reponi nunc, nisi solvantur concretiones, amplius non possint. Verum enimvero si forte tunc strangulatur hernia, corripiuntur per vasorum communicationem omnes hic positae partes dira inflammatione, adeoque & arcus vasorum apparatu ditatus, ejus particeps fit, excitatur vitale ejus robur, atque magis renititur. Hæc itaque si rite consideramus, apertum per se fiet, quantam præ dilatatione prærogativam habeat incisio. Etenim ubi strangulatur hernia, ita coarctatus est locus, ut digitus nequaquam, vix veror aliud instrumentum possit introduci, quin maximus sit metus, ita compressum iri intestina, ut vehementer exinde lœdantur; quod præsertim & illo in casu meruendum, ubi elapsorum plenaria concretio. Probat id quotidiana Chirurgorum experientia, qui omnes unanimi ore de summa conqueruntur difficultate introducendi vel tenui specillum sulcatum, super cuius sulco immittatur scalpellum. Præterea vero noverunt omnes, qui Chirurgicam artem exercent, feliciorem esse sanationem incisæ partis, quam quæ contusa graviter distenta est. Hanc veritatem si nostram ad quæstionem applicare velis, perspicies credo, robur vitale

c) Varias hic oriri posse concretionum species, contendit ARNAULD, Vir in herniarum operationibus versatissimus, vid. *Traité des Hernies* Tom. II. Sect. II. p. 104.

vitale ligamenti, si illud dilataveris, præsertim dum inflammatio istud tenet, frangi in totum, inflammationem irritamento hoc augeri, sanatumque dein licet ægrum recidivæ metu jure meritoque cruciari; quem herniæ recrudescençiae metum adauget, hoc præsertim in loco, quum cinguli pila justo applicari nequeat, nec in incedendo compressio æqualis. Et si unquam hæc encheiresis admitti potest, certe tunc modo locum habere videtur, ubi recentissima est hernia, nullarumque partium concretio, inflatione intestini minor, & facilis dissipatio materiæ contenæ, ita ut commoda ægroti collocatione in lecto partis elapsæ refusio queat contingere, partiumque nifus hucusque adeat, naturalem suum repetendi locum, quo in casu simul aliquid in ligamento robur assumere licet. Ubi vero inveteratae herniæ ferro medendum, eadem est nostra, quam quoque Cl. LOUIS atque FABRE d) alunt, sententia, incisionem longe præstare dilatationi.

### §. VIII.

De Corticis Peruviani egregiis in Casu nostro effectibus adhuc nectere sermonem instituti postulat ratio. Duceam hic ex animi sententia summaque cum voluptate felicem egregiam Avunculi sumimopere suspiciendi Cl. MAUTTE

D

---

d) Mem. de l' Acad. de Chir, Tom. IV. p. 295. sq.

de *Cortice Peruviano* Dissertationem e). Polychrestum scilicet, si quod aliud medicamentum, postquam contra intermittentes febres efficacissimum fuerat visum, ad alias quoque morbos summo cum fructu, atque contra gangrænam potissimum a Medicis adhiberi cœpit f). Meruit potissimum de egregio medicamento, in probanda hac ejus virtute Cl. PRINGLE g), cuius pulcherrima experimenta singula instituit quoque, aliaque plurima apposuit Cl. MAUTT h). Non permittit hic pagina recensere hæc pericula; sufficiat dixisse, constare istis, constare quotidiana experientia, valere plurimum Chinæ Corticem in dissipanda gangræna atque cohibendo ulteriori ejus progressu. Sed multiplices sunt gangrænæ species, quas tamè ad duo potissimum commode revocaveris genera; alterum nempe a nimio sanguinis motu, adeoque inflammatione, alterum a plenaria ejus quiete originem trahens. Cuinam igitur generi medetur Cortex? In diversa hic abeunt Autores i),

e) Lugd. Bat. 1760. habitam.

f) Non quidem studio, sed casu potius detecta est hæc divini Corticis virtus; atque quidem Anglorum potissimum industria inserta sunt eorum tentamina hinc inde in *Trans. Phil.* atque *Medic. Essays*.

g) Descripta sunt ista in *Observ. sur les Maladies des Armées* Tom. II. Mem. II. Exp. XIII. p. 188.

h) in *Diff. cit.* p. 25. sqq.

i) vid. de hac Controversia RODENBERGER de *Cortice Peruviano*, Arg. 1763. §. XIV.

nec certe unquam dijudicabitur lis, nisi quis ipsam Corticis agendi vim, hactenus ignotam, plane habeat perspectam. Demonstrant interim Observationes Clarissimorum Virorum, utriusque necrofi opem tulisse divinum nostrum medicamentum. Gangrænam ex hydrocele in scroto natam Corticis interno æque ac externo usu fuisse sanatam, docet BERTRANDI *k)*; refert CL. WERLHOF, intellinorum gangrænam ab incarcerata hernia natam a Corticis usu evanuisse *l)*; ex imbecillitate & senectute orta, primum fuit in usum tractus Cortex, inde promotus ulterius *m)*. Quid igitur statuendum? Dissipemus, quantum permitunt vires, caliginem, qua obvolvimus. Corticis quamvis ignota sit agendi ratio, hæc tamen inest ei vis, ut solida roboret, fluida incidat, attenuet. Ubi igitur a quiete sanguinis nata est gangræna, stimulo opus habent arteriæ, qui oscillationes excitet, denuoque vivificet; attenuante egent medicamento sanguinis grumi in vasis quiescentes, ut circulum iterum possint subire; utrumque egregie efficiet Cortex. Idem certe præstabit in altero gangrænæ genere, quod a nimio sanguinis motu est, dummodo Venæ-

D 2

---

*k) Mem. de l<sup>e</sup> Acad. de Chir. Tom. III. p. 129.*

*l) Commerc. Lit. Nor. A 1735. Januar. Hebd. I. p. 4.*

*m) vid. Medic. Essays Vol. II. Art. 34. Vol. III. Obs. V. Vol. IV. Obs. X. MAUTT Dif. cit. qui tam de hac, quam de priori specie proprios casus allegat.*

sectionibus rite depleta atque relaxata sint vasa, "inde dein  
 „fit, (verba sunt Cl. MAUTT<sup>n</sup>), quæ mentem meam accu-  
 rate exprimunt,) "ut solida a distendente nimis sanguinis  
 „impetu liberentur, per Corticem sensim sensimque tonum  
 „recuperent, in impactum agant, illum urgeant, conco-  
 mitantem febrem minuant, & sic felicem resolutionem  
 „producant. Quodsi vero putrida materies fuerit resor-  
 „pta, sanguinique mixta, illam invertere sicque tristem se-  
 „quelam præcavere poterit." Sic quoque, ubi jam in to-  
 tum emortua est aliqua pars, cui vitam reddere humanis  
 viribus non est datum, excitato rursus vasorum lusu, da-  
 bitur naturæ potestas, ut excitata inter sanam corruptam  
 que partem suppuratione, rejiciat hanc, a pernicie servet  
 istam,

## §. IX.

Age nunc, secundum ea, quæ hactenus ex Autorum  
 monumentis nostrum in usum collegimus, Casus nostri  
 epicrisin condamus. Apparebit cuique, qui Medentium  
 procedendi modum in operanda hac hernia mirari velit,  
 conspirare eum cum maximorum Virorum præceptis. Oc-  
 currunt certe in Chirurgicis operationibus talia momenta,  
 quæ exigua atque inuenta videntur primo intuitu, quorum  
 tamen observatio sive omissione tantos post se trahit effectus,  
 ut sive acceleretur sive retardetur curatio, sequantur sive

---

<sup>n</sup>) Diff. cit. §. XIV. p. 16.

prævertantur gravia symptomata, minuantur sive augeantur ægrōti crū-  
 ciatus. Oportet igitur ea curate rimari, quid efficere valeant, habere  
 perspectum; eorumque utilitas in ægrotorum emolumenta publice di-  
 vulgare. Commodo hæc ad ea novissimorum Autorum præcepta appli-  
 cabis, quibus prime integumentorum incisioni prudentes præscripse-  
 runt regulas. SHARPIO, Chirurgiæ Anglicæ decori debetur, quod  
 utilem hanc posuerit regulam, incidendi scilicet cutim ad aliquam ab-  
 annulo sive arcu erurali altitudinem; ut commode fieri possit hujus  
 dein incisio. De hujus igitur præcepti utilitate quoque persuasus Præ-  
 ceptor & hoc, quod satis inutile alias visum est, momentum caute ob-  
 servavit. Sed ne ab eorum, quæ tractanda mihi potissimum sumis,  
 Capitum consideratione longe nimis abripiar, eæ rationes perpenden-  
 dæ sunt, quæ ab omenti ligatura abstinererunt. Scilicet acciderant  
 hic, que in omnibus inveteratis herniis evenire solent; concreverant  
 intestina cum omento potissimum, superne inter elapsas partes colloca-  
 tum; his acoedit, quod & ad summum jam gradum pervenerat inflam-  
 matio dira. Insignis igitur erat partium teneritas, quam auxerant mi-  
 re audaces foeminae genu incumbentis conatus, quorum præfertim vis  
 Epiploon vexaverat, alias jam ob vasorum copiam, cellulosum habi-  
 tum, adipisque conditi naturam ad mortificationem prouum. An igi-  
 tur tentanda omenti ab intestinis separatio? Omnino certe eam pro-  
 hibebat dilacerationis metus, quæ in summa partium tenetate sine  
 dubio fuisset consecuta. Omissa igitur hac nihil aliud erat reliquum,  
 quam solutis cum arcu adhesionibus, totam in ventrem refundere  
 massam, negligere omenti ligaturam, quam non admittebant ex una  
 parte ejus cum intestinis adhaerentia; imo, quæ ex altera parte secun-  
 dum supra adducta Autorum testimonja inutilis & noxia esse videtur.  
 Jure igitur meritoque natura confitus viribus, tranquille expectavit  
 felicem ejus in citando pure operam, quæ emortuam omenti partem a

fana divideret, ejiceret, hancque cum intestinis a pernicie servaret.  
Qualis vero nunc sit in foemina nostra horum viscerum collocatio,  
daveris, ubi forte defuncta erit, sectio curiosis monstrabit.

## §. X.

Inveterata erat, quam descripsimus, hernia, in qua undiquaque  
natae erant cum vicinis partibus adhaerentiae, inter quas ea potissimum  
difficiles excitavit operantibus labores, quae in ipso arcu, inter hunc  
atque omentum cum intestinis aderat. Elapsarum praeterea partium mo-  
les augmentum coepérat quotidie, atque diurna in herniae sacco mo-  
ra eas ita novae fuae collocationi affuefecerat, ut omnis in ventrem sese  
recipiendi nitus in eis evanuerit. Ita fese habentibus rebus superve-  
nit herniae strangulatio, sive, quod idem est, omnium partium inflam-  
matio indies crescens, quam non potest non usque concomitari summa  
intestinorum atque cruralis arcus tensio. His si addas teneram visce-  
rum, quae sub ligamento erant comprehensa conditionem supra memo-  
ratam, necessariam fuisse arcus incisionem, impossibilem dilatationem  
evidens fiet. Qui enim potuisset refundi massa in ventrem in hisce an-  
gustiis, cuius maxima erat moles? qua ratione solvendae erant in arcu  
natae adhaerentiae, quas relinquere nefas erat? ni incidissent ligamen-  
tum, atque ita parassent operanti digito spatiū viamque elapsis parti-  
bus, qua in abdomen redirent; qua certe commoda praestare nequit dilatatio,  
vix in recenti hernia admittenda. Sed nondum absoluta hic  
erat Medentium pagina; pessimam indigitabat prognosin; qua omentum  
ac intestina jam occupaverat gangrena, ad eum jam constituta gradum,  
ut Epiploï pars esset emorta. Aliquam tamen hucusque spem reliquerat  
vitæ superflues robur, ex pulsus aquabili tenore dijudicandus. Optimum  
hic erat consilium propinare medicamentum, cuius contra necrosin virtu-  
tes ex innumeris Autorum testimonii abunde constabant, quo novas in  
arteriis excitaret oscillationes, purisque faveret generationes; dissipata  
gangrena, rejectaque emorta omenti parte, sanitati restituta est foemina,  
atque incolamus hactenus vivit.



(x2282770)

V017



B.I.G.



13

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN A<sup>N</sup>UGURALIS MEDICA  
SISTENS CASUM  
DE  
**HERNIA CRURALI  
INCARCERATA**  
QUEM  
*DIVINIS SUB AUSPICIIS*  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
DECRETO  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN MEDICINA HONORES  
ET PRIVILEGI<sup>A</sup> DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI  
SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI  
RESOLUTUM SUBJICIT  
DIE XXVIII. AUGUSTI A. MDCCCLXIX.  
**FRANCISCUS CAROLUS MELZER**  
PETROPOLITANUS.  
H. L. Q. C.  
ARGENTORATI  
Typis JOH. HENRICI HEITZII Univeritatis Typographi.